

V c  
1155



h.

D

N

J



OK 4, 26  
h. 17, 26

Vc  
1155

Q. D. B. V.

# DALEMINCIA SLAVORUM,

PRÆSIDE  
M. CASP. HENRICO  
GRAUNIO,

Ordinis Philosophici Adjuncto,

ex Antiquitate Misrica  
ad disputandum sistitur

<sup>d</sup>  
JOANNE ANDREA PLANERO,  
Strjensi Misn.

*IN AUDITORIO MAJORI,  
Calend. Octobr.*

WITTENBERGÆ  
Prælo MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.  
Anno M. DC. LXXXVII.

4



EX 121

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

b  
p  
h  
ft  
  
q  
q  
m  
su  
su  
m  
la  
de





1.

**D**eposui mihi Dalemenciam recensere, quæ & amœnissimos Misniæ campos comprehendit, & post Cæsarum è Karoli M. stirpe procreatorum tempora crebrò memorata fuit. Quæ in parte antiqua Præsulatûs Misnenensis Diplomata, & scriptores habeo testes, qui Historiam Germanicam posteris proditam reliquerunt.

2. Ditmarus Merseburgius Antistes inquisivit in origines vocabulorum, quorum quod primo loco positum conspicimus, è Germania derivat. Nam sic ille texere orditur suam de Henrico recitationem: *Isq; à Patre suo in provinciam, quam nos Teutonicè Dalemince \* vocamus, Slavi autem Glomaci appellant, cum magno exercitu missus, devastata eadem multum, atque incensa, victor rediit.*

A 2

\* Non

\* Non displicent, qui rationem explicandi à Vallibus petunt, quandoquidem si tota regio in montium juga non adsurgit, nec in valles idcirco porrigitur, evenire tamen potuit, ut peculiari è loco causave hoc, quale est nomen, ad adpellandam eam usurparetur. Quamobrem sequor hic Meibonium, facientem rectè conjecturam, potius quàm alios, qui ab hominibus præstanti corporis forma præditis nominatam fuisse existimarunt. Not. ad Witichind. Lib. I. Planè aliena loquitur Erasmus Stella, quando Helmanticos ex ingenio fingit, qui olim Helmiones dicti sint, quoniam Helmionem ferantur esse secuti. Inde oram ab ipsis cultam Helmoniam audiisse sive Helmanticam, & populum Delmanticorum, quo de nobis agere est institutum, hinc similiter fuisse. Nam perinde ut Garzo Bononiensis, & Ernestus Brotufius, aliivè quos allegare supervacaneum duco, tum gentes more Monachorum haud rectè arcessit, tum Slavicos incolas cum antiquis Germania civibus, à Ptolemeo & Tacito memoratis, ridiculè permiscet. V. Stella in Commentario de populis & rebus priscis oræ inter Salam & Albim, Part. I. Garzo in Historia Friderici Admorsii pridem Germanicè versa. Brotufius Annal. Merseburgic. Lib. I. cap. 3.

3. Dalmatæ, de quibus Strabo observavit, ipsis à Dalminio urbe appellationem obtigisse, huc non spectant. Quamquam enim accidere potuerit, ut Dalmatarum quidam cum Sorabis has in regiones proficiscerentur, tamen è Ditmaro fuit intellectum, Germanorum esse, notionem illam, utpote à se profectam ac impositam, interpretari.

4. Hoc si Gemblacensem latuit, certum est, eum gravi se errore implicuisse, quando de

Hen-

Henrico sic exposuit: Rex Henricus Gana urbem Dalmatiae capit, & Dalmatis tributum imponit.\* Demus enim, Dalmatarum populum, qui in ora Illyrica sibi domicilium figebat, è VVendorum sanguine fuisse, tamen Dalemencios nil attinere, cunctis, ut opinor, satis liquet. Quare Urspergensis Abbas, & Cranzius juxtà ac Cuspinianus, dum in scopulum eundem scriptione sua hîc impingunt, eadem qua Sigebertus, causa atque culpa continentur.

\* Haud inficias eo, variam pronunciationem observari. Monachus enim Corbeiensis, quando Henrici Aucupis facta enarrare incipit, hac inter alia consignat literis: Pater autem videns prudentiam adolescentis, & consilii magnitudinem, reliquit ei exercitum, & militiam adversus Dalamantiam, contra quos diu ipse militavit. Dalamanti verò imperum illius ferre non valentes, conduxerunt adversus eum Avars, quos modò Ungaros vocamus, gentem bello asperrimam, Lib. I. Annal. Witichindi. Alias formas Diplomata Imperatorum adhuc servant, quando id, quod ab Henrico IV. anno 1074. promulgatum est, provinciam Thalemence, quod anno 1090. compositum fuit, regionis Thalaminci meminit, qua Henrici Marchionis Comitatum ambitu suo fuit complexa. Bertholdus verò Episcopus Numburgensis, in tabulis anno 1159. publicatis, quo tempore Otto Marchiam Misinensem habuit, Dalminzam pagum nominavit. Qua ex voce nihil reliquum invenio, nisi fortassè valdam quadam, sed literis transpositis, Mincidala, & pagus ei adjacens, cum oppidulo Dalem, per vetustam appellationem prosequantur. V. Georg. Fabricius Annal. Misn. Lib. I. p. 16. Sig. Gemblacensis ad ann. 928. Cum Strabone Lib. 7. Conf. Aventinus Lib. 1. Hist.

vocatus. Jam à Monacho Pirnensi memo-  
riæ est proditum, benè multis abhinc annis  
Dynastas nobiles floruisse, Clommeniorum  
stirpe factos, qui VVilenam arcem, haud procul  
Rupe Regia, altissima ad Albim specula, domi-  
ciliam habuerunt. Novi ego plures pagos, qui  
partim à Misniæ finibus haud longissimè rece-  
dunt, partim in ipsa positi sunt, & illustribus cli-  
entelis comprehenduntur, nomine cum oppi-  
do ferè simili gaudentes. Quos omissos esse  
à Scriptore Misnensis Chronici vehementer  
miror, \* inprimis quùm ipsi hoc propositum  
fuerit, ut cognata similevè quid habentia vo-  
bula commemoraret.

\* *Æquè interpretor, quòd nullus animadvertit, Ditmarum  
sic loqui de provincia, quasi à Caminzi fluvio nomen insuper quod-  
dam derivatum habuerit. Cujus verba inspicere cupio, & de ipsis di-  
ligenter cogitari, prout extant Lib. I. Chron. p. 1. V. Petr. Albinus  
in Commentar. rerum Misn. Tit. VII. p. 80.*

8. Redeo ad Daleminciam, in qua Po-  
pulus Venedicus Daleminciorum sequitur, vos  
qui à Vandalis arcessunt, Sarmatasque advenas  
cum Germanis pari loco æstimant, miserè hal-  
lucinari habent necesse. Fecit id Albertus  
Cranzius, si rectè Conringius judicavit, popu-  
laris



laris erroris auctor & princeps, cui se superiori seculo, & insecutis temporibus plurimi applicuere, gentes ita diversas non satis cautè idoneeque discriminantes.

9. Utut verò res aliter habeat, eque Diodori Siculi, Appiani, Plinii, Procopiiq; monumentis sit quàm facilis ostensu, tamen probò Albinii modestiam, à quo Philippi Germaniæ Præceptoris effata non acerbè perstricta, sed studiosè recensita fuerunt. Quemadmodum idem Georgium Fabricium notavit, ut honorifica plenaque laudis mentione haud pateretur Virum optimum carere. At verò hoc indulgit venerationi, quia Reineccium prosequeretur, ut siquidem eadem culpa foret implicitus, \* supersederet nihilominus nominatim eum confutare.

\* Nam hoc abest, ut Commentarius Latinus accuratè exponat, quando oppidum Limmaciam Vandalorum metropolim fuisse tradit, ut in eo graviter impingat. Præsertim quia non repudiat errorem, aut abjicit agnitum, sed continuo periculosius ruit. Sic enim de Slavici sermocinatur, eorum nomen Vandalicis Sarmaticisque populis generatim esse impertitum; Vandalos autem, quò Misniam occupaverint, diuque habuerint in potestate, peculiari Soraborum nomine ab aliis discerni consuevisse. V. Commentar. de origine Misnorum, ab Elia Reusnero Latine versus. Albinus Lib. cit. p. 56. & seqv. In universum Hermann. Conringius de

B

Finis.

Finibus Imperii, cap. 16. ubi Daniae Regum jura in Venedorum  
terras, & Nord Albingicam Saxoniam exquirat. p. 244. Quod  
reliquum est, Reinneccius fatetur, Misniam sub Henrico Aucupe,  
quocum Ditmarum non bene connectit, à Teutonibus Dalemin-  
ciam à Slavis autem Lammaciam fuisse nuncupatam. Etsi probe  
intelligat, hoc rebus suis haud conducere, ut qui ante Daleminos  
Slavos Mysos floruisse opinetur, à quibus Misnenses doctè & in-  
geniosè derivat. Enimverò cause est satis, quandoquidem Henrici  
temporibus nil Mysorum reliqui fuerit, quapropter statuamus,  
Misnensium nomen non à Mysis, sed ab urbe Misna, urbis autem  
ipsius à fluvio, Septentionem versus eam præterlabente, descen-  
disse. Quod Ditmarus in Annalibus Merseburgicis disertè pro-  
nunciavit his verbis: Hic montem unum juxta Albim positum,  
& arborum densitate tunc occupatum excoluit, ibi urbem fa-  
ciens. Cui de rivo quodam, qui in Septentionali parte ejus-  
dem fluit, nomen Misni imposuit. Lib. 1. pag. 9. edit. Mader.  
Quæ cum ita sint, non moratur tamen, sed pro se Reinneccius ex-  
ponit, & nequaquam sibi adversari confirmat. Etsi enim hoc ad-  
mittat, aliud Misniam à Vandalis (sic Slavos Daleminos appel-  
lat) aliud à Germanis nomen reportasse, quod novorum populo-  
rum adventu subinde soleat accidere: imò quanquam largiatur,  
civitatem Misnam circa principium à fluvio vocatam esse, amnem  
tamen ipsum à Mysis nomen ducere, non modo ipse judicat, sed ut  
alii sibi sinant quoque persuaderi, mirificè laborat. Secus enim re-  
gionis vocabulum è Vandalica, ut loquitur, seu Slavonica lingua,  
explicandum nobis linqui. Vid. contra eum Phil. Cluverius de  
German. antiq. lib. 1. cap. 3. p. 29. Conf. Summi Polyhistoris  
C. S. Schurzleischii Dissertatio de Marchia Misnensi. Ego id  
dictis noto, nondum esse ad liquidum perductum, utrum Misnia,  
quam latè porrigitur, Dalemincia audiverit, siquidem cum in fines  
inquiri, & Ditmarum insuper sedulo perscrutor, vix patior à me  
impetrari, ut aliud, quam partem regionis, pago isto comprehendam.  
Porro si vernaculum exemplar, à Reinneccio evulgatum, Wendorum,  
ubi ad ipsos delabitur, mentionem injicit, non Vandalorum; vitium  
non Auctori, sed interpretis incuria causa est cur imputemus. V.  
Lib. cit. pag. 212.

10 Refert alioqui, ut sciamus, qui populi Dalemincios præcesserint, & quibus appellati fuerint modis, quando neque fundamentum intelligitur, neque ordo hujus rei satis perspicitur, si nolimus diligentius id explorare. Sic autem Petrus Albinus recensuit, è Reineccii sententia, qui Misnicam terram colluere, & seriem ab ipso contextam hanc invenimus.

Ascanes.

Wendorum nomina exhauriunt

Hermiones.

omnem Gentis  
latitudinem, ut:

partem duntaxat, suntq;

Hermunduri  
horumq; accolæ.

Myfi. \*

Venedorum, Sarmatarum, Slavorum.

Slavi sive Wendi.

Coloni Saxones,  
Franci &c.

magnæ alicujus  
nationis, ut: Soraborum. \*\*

populorum ipsa  
comprehensorum,  
ut: Glomaciorum,  
Daleminciorū \*\*\*  
Milzenorum \*\*\*\*  
Nisanorum \*\*\*\*\*  
Luzicorum \*\*\*\*\*

\* Non patitur instituti hujus ratio, singula quæ in schemate sunt, resicare ad vivum, quandoquidem quo ordine Gentium natales se excipiant, & à fonte suo fluant, accuratius jampridem demon-

stratum fuit. Id de Mysis habeo monere, bonum, qui ex Asia in  
regionem hanc venisse eos cupiunt, Melanchronem fuisse ducem.  
& eorum conjecturas elegantes auctoritate sua non mediocriter cora  
roborasse. V. Epigramma Græcum, à Fabricio Latinè editum.  
Conf. oratio de regione & gente Mylorum, à Jo. Homilio recitata.

\* \* De Sorabis liquet, ipsorum complexu omnes populos am-  
biri, qui è Venedico sanguine olim Misnia obtinuerunt. Ideò sub  
ipsis Dalemincii fuere, tanquam precipua & nobilissima gentis por-  
tio, quorum qui à capite ordiuntur res evolvere, principio Sorabicas  
antiquitates, post Wendorum in universum migrationes & progres-  
sus recognoscere oportet. Contactu ad hoc institutum, præter  
vetustissimos Scriptores, quæ Jornandes annotavit, & ex Adamo  
Bremensi Halmoldus Presbyter accepit, cum Arnaldo Abbate,  
Cranzio, & Chytræo. Quibus addimus Martinum Cromerum,  
Historiæ Poloniæ conditorem, in Germanicum Idioma rudi  
charactere olim versum. Non obest quidquam Sorabicus limes,  
vel longius protractus interdum, vel arctius vicissim circumscriptus  
& conclusus. Nam à Sala ad Suevum à quibusdam extenditur;  
à quæ plurimis verò Albis ripa terminatur. Monachus Pirnensis  
inter Maldam & Plisiam constringit: alii inter Salam & Elistrum.  
Quoniam enim vox antiqua est, & à Karoli M. ævo frequenter u-  
surpari cœpit, antequam Daleminciorum fieret mentio, populi quem  
signavit, variam secuta est fortunam, & perinde ut de illo constat,  
vel manavit latius quandoque, vel se contrahi sivit, & angustiores  
terminos accepit. Vid. cum Adone Viennensi, Aimonius Lib. 4.  
cap. 74. 81. 102.

\* \* \* Dalemincios Slavos Soraborum effecisse partem, nemo,  
ut opinor ego, dubitat. Quam in sententiam Henrici III. Cesaris  
Diploma allegatur, Burgwardum quendam sive Prefecturam do-  
nantis, in Dalemincia jacentem, & Serebetz nominatam. Alibi Ai-  
monius de hoste quodam Imperatoris loquitur: Ludovicus ad Sor-  
bos, quæ natio magnam Delmatia partem obtinere dicitur, fu-  
giendo se contulit. Quæ in recitatione offendit, quod Delma-  
tiam cum Sigeberto & Ursbergensi expressit, quæ Dalemincia non  
est affinis: & quod partem tenuisse prodidit, qui omnem Misnia o-  
ram rapuerunt, armisq; aliquando subjugarunt. Quod si nostros  
bas

hec non tangunt, eque testimonio caremus, ac non argumento  
omni, Sorabos toti Misnia incumbentes, & imperio suo graves cona-  
stituente. V. cum Chronico Gosicensi, Cosmas Pragensis, è quo  
id compertum est, Misniam à Bohemis Sirbiam fuisse dictam,  
pro qua Spangenbergius Sorbiam legi oportere iudicavit.

\* \* \* \* Haud capio, quod Albinus consignavit, Ditmarum  
Præsulem Sorabos in Dalemicios Slavos, ac Milcienos dispartiri.  
Perinde ac si plures populi non essent præstò, qui æquè quidem, ut  
ibi duo, Soraborum in cognatione partibusq; numerantur. Etsi hæc  
sapientius scribat, quàm idest, quod fortè cuipiam in mentem venire  
posset, Dalemicios & Milcienos unam in sedisse regionem, nec di-  
versas extitisse gentes. Secus efficit ut sentiamus, Chronicon Mer-  
seburgense Ditmari, in quo ambas quidem nationes instar distin-  
ctarum memorari, tùm Milcienos ibi poni intelligimus, quò Dale-  
miciis non potuit patere accessus, aut porrigi ipsorum fines. Sic  
enim de Henrico Casare, à Bohemia expeditionem moliente, exposi-  
tum est ibi: Ipse verò cum Bojemorum Duce novo Milcienos,  
qui tùm sibi fuere proximi, terminos per ineffabilem itineris  
difficultatem adiens, Budisfinam urbem possedit. Lib. VI. p. 132.  
Quæ cum lego, incredibili voluptate afficior, quoniam cum his, quæ  
Celeberrimi Scriptores commentantur, consentire animadverto.  
Tradit Jo. Dubravius, Episcopus Olomuzensis, antiquitus Serbios esse  
nominatos, quorum pars fuere Milciani. notatione situs à cæteris  
distincti, & pago Niseni & Budesin, unde postea Marchia Budisfi-  
nensis dicta est, comprehensi. Adeoq; non potuit esse immemor Di-  
plomatum, ab Imperatoribus Saxonis & Salicis datorum, in qui-  
bus signantur Milciani, haud sanè alii, quàm qui hodiè Lusatiam  
superiorem colunt. Lib. 2. histor. Bojem. p. 14. quemadmodum  
apud C. S. Schurzfleischium est, in elegantissima ac perquam e-  
rudita Dissertatione, quæ de Lusatia inscribitur. Proinde jam  
absterrear, ne Reineccio me dedam, in quantum Sorabos Slavos Mil-  
cienos modò à prisca, modò Dalemicios fuisse dictos putat. Sicut  
ex his Gentibus cum Dalemicios Henrici Aucupis avo, Milcienos au-  
tem Henrici II. temporibus floruisse scribit, fidem haud meretur. A-  
liud namq; Ditmarus indicat, quoties Henrici Regis, & Imperatorum  
sequentium ætati Milcienos adsignat, cumq; aliis Wendorum inne-  
dit. V. Procem. in Ditmar.

\*\*\*\*\* Falsò creditur, Dalemincios & Milcienos Soraborum Gentem exhausisse, siquidem Nisani pari jure istuc spectant, & Glomacios Wendos quàm proximè attingunt. Patet è Diplomate Pontificis, quo Præfulatus Misensis terminos designavit, his inter alia verbis usus: Ubi caput & fons est aquæ, quæ dicitur Odera, inde quasi recta via usque ad caput Albeæ, inde deorsum ad occidentalem partem, ubi divisio duarum regionum est, Behem & Nisen. Et verò in literis, ab Henrico IV. Cesare profectis, Burgwardus quidam nominatur, in provincia Niseni, qui Gozebudi pagum habuit, quem Costebaudam esse hodiè, satis luculenter mihi constat. Adhæc Diœcesis Nisicensis Archidiaconi, cujus in Episcopatu illo exstitit peculiaris dignitas, sic signata est, ut Brisnicium, Kotsenbrodam, Dresdam, plurimosq; circum pagos comprehenderit, limiteq; suo terminarit. Præterea in Tabulis Brunonis, Antistitis Misinensis, territorii cujusdam mentio facta est, quod Nisen audiit, castellumq; Scharfenbergium finium complexu inclusit. Quibus quando hæc adjungo, quæ in Chronico Pegaviensi de Viperto Comite narrantur, ipsum dotis loco Budissin & Nisin à Bobemis tenuisse, haud est, quod ulterius requiram. Liqueat enim satis, Nisitorum, ubi Dalemincia finivit, habuisse initium, cum versus Budissinam, tum ad agrum Bobemicum quàm longissimè porrectam. Conf. Literas Henrici II. anno 1013. & alias Bennonis ac Witigonis, anno 1071. & 1269. consignatas. Add. Ditmar. Lib. 4. p. 16. Lib. 6. p. 134.

\*\*\*\*\* De Luzicis exploratum debet esse, utràm populis Sorabitis accensere, utràm verò à Nisanis & Daleminciis divellere oporteat, quo sic inceptæ tractationi satisfiat, & via ad sequentem feliciter communiatur. Enimverò ad dijudicandum utile est, quod in præcedentibus adduxi, Joannis XIII. diploma, in limitum enumeratione porrò hæc recensens: & sic sursum ultra provinciam Nisici, ad ipsum terminum: nec non in altera parte Luzyci & Selpoli, & sic usque ad civitatem Sulpize, illam videlicet infra eundem sursum usq; ad caput ejus. Præsules Misenses indicat versus Orientem usq; ad Luzicos potestatem suam porrigere, quorum pagum à Selpoli & Nisici regionibus manifesto discrimine sejungit. Quod si mihi conceditur, Merseburgii Præsulis, è quo harum rerum

anti-

*antiquitates maximam partem haurire oportet, testimonium addu-  
cere, illustrem invenio characterem, quem signavit ratione sequenti:  
Exercitum autem nostrum cum prosperitate ad locum, qui Do-  
braluh dicitur, in pago Luzizi venientem, Henricus & Jaromirus  
Duces ad supplementum ejusdem cum suis properantes lætifi-  
cant, majoreqve consilii ac fortitudinis spe roborant. Et paulo  
post illa: inde provinciam Nice vocatam itinere attingentes  
juxta Sprevvam fluvium castra metatus est. Ditmar. p. 134. Huic  
commemorationi acquiesco, id ex ea suspicari contentus, Luzicos ul-  
tra Albim, ubi qui Lusariam inferiorem tenent, hodie reperiuntur,  
sedem sibi statuisse. Quapropter si hoc verum est, quod Viri sum-  
mi perscripserunt, utriusque cum superioris regionis, tum inferioris  
populos, Soraborum nomine fuisse insignitos, Luzicos equidem à Lu-  
ticiis, ab ipsis procul constitutis, non à Daleminciis nostris, quibus-  
cum communem ortum servant, remove in universon esse ha-  
bemus. V. Albertus Cranzius Sax. lib. I. cap. 1. Meibom in Pago  
Luzici. Conf. Adamus Bremenensis lib. I. cap. 34. Helmoldus lib. I.  
cap. 7. ubi de Sufis fiunt verba, quos quidam Lufos maluissent  
legere, Luzicosqve sunt interpretati. Addatur denuò Ditmar.  
p. 155. ubi Geroni, Lusatiæ Marchioni, Urbs quædam in pago  
Luzici posita tribuitur.*

ii. Postea verò quàm natales visi sunt  
VVendorum incolarum, ad fines Daleminciæ  
appropinquamus, & quaquaversus antiquitùs  
descriptos cum cura ac diligentia in posterum  
scrutamur. Sic autem Ditmarus in Chroni-  
co suo delineare est aggressus: *Et hæc provin-  
cia ab Albi usq, in Caminizi fluvium porrecta,  
vocabulum ab eo trahit derivatum. Sed non  
longè à prædicto amne in pago Chutizi dicto.*

*Quæ*

Quæ nemo propemodùm aliter accepit, quàm  
Caminizi esse fluvium, in Sudetum radicibus  
ortum, qui à fonte suo manans ad Chemni-  
cium urbem descendit, eamq̃ve præterlapsus  
absolvere cursum suum pergit, donec paulò  
infra, ubi VVechselburgum est, in Muldam  
Zviccaviensem recipitur.

12. Ex his manifestum evadit, Dalemin-  
ciæ limites versùs orientem quidem Albim re-  
periri, ad meridiem verò lineam, paulò supra  
Misnam incipientem, & ad amnis fontem in  
Zvvenicium perductam. Adde ipsum fluvium  
à Ditmaro nominatum, atq̃ve aliam insuper  
lineam, ab ostio ejus ad Leisnicium oppidum,  
longiusq̃ve protractam, & sic oram hujus pro-  
vinciæ non modò versùs occasum solis, sed  
& juxta septentrionis plagam circumscribi &  
concludi deprehendes.

\* Vid. Chronicon Mogellanum, ubi Spangenbergius re-  
fellitur, & limites regionis consimili ratione statuuntur. Quippe  
secundùm eam Dalemencia à Misne confinis ad Chemnicium, è re-  
gione verò ad Leisnicium se porrexit, Mogellam & Ossacium am-  
biens, nec non ad Mutinensem & Warcenum Comitatus fines suos  
extendens.

Quam.



13. Quamquam verò ea certa sint, tamen observari adhuc debet, Scriptores Chronico-  
rū, Viros pios alioqvi & diligentes, in eo sibi non constare, quòd infra Ileburgum Grunam arbitrantur extitisse, Daleminciorum civitatem. Ipsi enim provinciæ terminos hos designarunt, qui eò usq; protensi esse ac patere nequiverunt. Faciliùs assentiremur de Kora, arce ad Gnansteinium posita, si testimoniis veterum probari posset, ad regionem, quam describendam, sumpsimus, pertinuisse, & à Ducibus Glominciorum, quod illi inqviunt audacter, ædificatam & infessam esse. \*

\* Tradit quidem istud, quemadmodum id, quod de Gruna recensuimus, Optimus Vir, à quo Mogella memoria aternitati consecrata fuit, sed Auctorem, quo se muniat, non adducit. In reliquis autem commodè sentit, & Fabricium opinionis suæ habet patronum, Annal. Urbis Misnæ, ad ann. DCCCCXXVIII. ubi Ditzmarum in eandem sententiam allegat & interpretatur.

14. Petrus Albinus Nivemontius in finibus Daleminciæ circumdandis contrariam rationem fuit ingressus, quam verbis manifestis aperuit, tum argumento non uno \* confirmavit ibidem ac stabilivit. Ut enim liberaliter hoc fateatur, se antea quam diligentius de proposito negotio cogitasset, haudquaquam

C

dis-

dissensisse, & Chutici pagum Chemnicio flu-  
vio ob eam rem apposuisse, tamen ad Ditma-  
rum redeuntem necessariò inquit sententiam  
suam immutare, & amnem longè nobiliorem  
significari, statuere fuisse compulsum.

\* Et verò non probari ipsi potuit, cum fines Dalemancia ver-  
sus Thuringiam indicandi forent, Chemnium amnem ad id fuisse  
addibitum, qui exiguus est, & vix octavum lapidem ab ortu suo ab-  
solvit. Quo pacto Dalemancia non adipiscitur sufficientem descri-  
ptionem, quoniam longius decurrebat, & alio fluvio manante ulte-  
rius insigniri habebat necesse. Adhuc commodum eveniebat Albi-  
no, quod Ditmarus meminit de Presulatu Merseburgio, cum is dis-  
cerperetur, Antistitem Misnensem consecutum fuisse partem, quæ  
intra Albim & Caminisi fluvios constringebatur. Nam quia Mer-  
seburgia Diocesis nequæquam huc pertingebat, sed perinde ut Presu-  
latus Citicensis, ripa Mulde terminabatur, oportere ait ex ea causa,  
ut amnis constituatur alibi, longiusq; ad occasum flectat. V. Ditmar.  
Lib. III. p. 55. ubi hæc est invenire: Volcoldo autem Misnensis  
Ecclesiæ Antistiti pars illa conceditur cum adpertinentibus vil-  
lis: Wisseburg & Lostata una, quæ ad Gutici Orientalem per-  
tinet, ac fluvii Caminitz Albiq; distinguitur. Alius Chara-  
cter à Ditmaro est exhibitus, quando quæ Ottonis Cesaris munifi-  
centia Bosoni Merseburgio attribuebat, sic in Chronico suo perse-  
quitur: Imperator huic paucas villas concessit, ad prædictam  
urbem pertinentes, & in pago Chutici positum quoddam castel-  
lum, quod Medeburg vocatur. Jam id à Brotusio est annotatum,  
superesse pagum quendam, Plisiam versus & Elistrum, haud procul à  
Rætavia, Frisiorum clientela, situm, qui Medeburn vocetur. E quo  
istud porro colligitur, Chutici pagum non ad fluvium Chemnium,  
sed Elistri ripas esse postea quærendum. Si enim probè ponderetur,  
quid Chutizi toties commemoratum, aut Gutizi sibi velit, non pla-  
nè nihil id persuadet, Sceudicium esse, quemadmodum nunc appella-  
mus; præsertim si inspiciantur, quos crebro jam adduximus, Anna-  
les Ditmari, Lib. 4. Cum quibus conf. Brotus. Lib. 2. cap. 3. Tan-  
dem Lostata commemoratio, quæ Albino Lauchstadium est, & Gru-  
na

*na ad inferiorem Muldam positus, singula eò pertinent, ut multò,  
quàm in schemate deprehenditur, ampliorem regionem nobis relin-  
quant. V. Albin. p. 432. & 433. Chron. citat.*

15. Antea verò, quàm hæc Albini per-  
quiramus, Brotufio oportet satisfieri, Dalemin-  
ciæ fines sic ordinare olim adgresso, quasi ad  
utramque Muldæ ripam protenderentur, Lisni-  
censis Comitatus territorium, intervallo ad  
Lupfurdum sive Misnam urbem perducto,  
ambientes & complexi. Quæ asseveratio te-  
stimoniis caret, & alioqui terminos angustiores  
comminiscitur, quàm fieri conveniebat. Ideò  
illam non operosè argumentis jam refellimus,  
sed silentio duntaxat confutamus. Quod si  
laxius oporteat intelligi, quæ de Muldæ ripis  
commentatur, non omninò inficior, eum veri-  
limitis rationem propemodùm fuisse assequu-  
tum.

16. Cæteroqui pondere valent, quæ Al-  
binus conquisivit, ad muniendam suam opi-  
nionem, etiamsi talia non sint, quibus everten-  
dis machinæ non sint præstò, aut nequeant à  
nobis admoveri. Nam præterquam quod  
auctoritate caret inventum viri doctissimi, o-

mnesq̄ve experitur sibi adversarios, etiam rationibus manifestis \* oppugnatur & convel-  
litur. Quinimò ipse hoc non postulat, quia  
est modestia, ut sine tergiversatione confestim  
ab omnibus recipiatur, sed antiquitates Misni-  
cas scrutantibus proposuit, ut hinc occasio-  
nem explorandi diligentius, meliusvè quid in-  
veniendi adipiscerentur.

\* 1. Id est manifestissimum, Elistrum vel Plisiam Ditmaro  
non venisse in mentem, cum fluvium Caminizi commemoraret, quia  
non modò separatim amnes nominat, sed in dispartitione Dioceseos  
Merseburgensis, partem Elistro, Milda, & Sala comprehensam, ab  
ea, quam Albia & Caminizi sepserunt, valdè luculenter distinguit.  
Sic enim sonant, quæ ibi loquitur: Pars Episcopatus nostri, quæ  
jacebat inter Salam & Elistrum & Mildam fluvios, & Plisni, Ve-  
du, & Tuchurino pagos, cum villis passim & piscinis, Friderico  
Cicensi datur Episcopo. Reliqua ad Volcoldum Presulem perve-  
nerunt, quemadmodum in sequentibus, jam à nobis allegatis, hoc  
apertè est perscriptum. 2. Haudquaquam veri speciem aut simili-  
tudinem aliquam habet, pagum Chutici, qui exiguam Misnia par-  
tem claudit, fluvii latè fusi, longissimèq̄ à se invicem recedentibus,  
circumdatum à Ditmaro descriptumq̄ fuisse, qui alioqui accuratio-  
ni studuit, & propinqua terre spatium diligenter exquisivit. 3.  
Non insolitum novumq̄ fuit, si Antistitum Merseburgensium ditio se  
extenderet ad limites in Schemate representatos, quandoquidem  
ipse Albinus Episcopatum duorum, Merseburgii nimirum & Cicensis,  
terminos ita stitit conspectui nostro, ut linea ad Wechselburgum per-  
tingens, & ibi angulum faciens, ipsos mutuò separaret. Quapro-  
pter desinat mirari, portionem exiguam, in pago Gutici invenien-  
dam, etiamsi ad Chemnicium appropinquaret, tamen Merseburgio-  
rum, non Presulum Misnensium imperio curæq̄ subiectam fuisse.  
4. Veritati consentaneum non est, terram ad Elistrum jacentem, di-  
lata

laceratis à Gifilero & distractis possessionibus, Diœcesi Misnensi a  
crevisse, cum alii Praesules propiora ei acciperent, & juxta Mildam  
posita nanciscerentur. Quæ cum è Ditmaro expendo, non patior  
me induci, ut removeam ad Plisiam vel Elistrum, quæ ad alteram  
plagam, & superiorem Misnia regionem procul dubio vergebant.  
5. Quod de Mulda fuit dictum sic interpretor, ipsum quidem Prae-  
sulatus istos discriminasse, verum non sic exactè, quemadmodum Ala-  
binus judicavit. Contrarium perspicitur è recensione Ditmari,  
quam sequentia absolvunt verba: Sibi autem retinuit Gifilerus  
undecim urbes, quarum sunt hæc nomina: Scudici, Cotug, Wor-  
zin, Bigni, Ilburg, Dihni, Pug, Luibanici & Gezerisca. Wurce-  
na ergo Mersburgicis obtemperavit, priusquam in Praesulis Magde-  
burgensis potestatem concessisset, quam verò civitatem ad ulteriorem  
Mulda ripam pertinere, nemini non est compertum. Hæc igitur  
legens non mediocriter afficior, & in sententia priori confirmor,  
praesertim quando Librum VII. evolvo, ubi talia reperiuntur consi-  
gnata: Tunc Imperator & Archiantistes jusserunt mihi, ut pa-  
rochiam in orientali parte Mildæ fluminis jacentem, id est, in  
Burgvardis Bichini & Wurcin Eilhardo concederem, & quam  
ille in occidentali ripa tunc teneret, mihi, hoc nunquam desi-  
deranti, relinqueret. En! possessionum permutatio, quæ antequam  
susciperetur, Episcopus Mersburgensis ripæ solis ortum respicienti,  
Misnicus verò occidentali adjacentem parochiam habebat, quam  
Ditmarus invito animo accepit, & cum sua permutari sivit. Vid.  
Vita ejus, è Codice quodam MSCto à Reineccio publicata, p. 259.  
6. Regionem Plisia & Elistro terminatam, & pagos ad ipsam spe-  
ctantes, alibi enumerari videmus, verbis neq; difficilem intelligen-  
tiam habentibus, neq; sinentibus quidem dubitare, hæc & Caminiza-  
amne circumfusa ad diversas plagas tendere, penitusq; inter se di-  
screpare. 7. De Chutici verò per commodum accidit, quòd Praesul  
sepè laudatus, & ex eo Albinus prodidit, duos eo nomine significari  
pagos, quorum alter orienti magis vicinus fluvio prædicto irriga-  
tur, alter verò ad occasum declinans Medebur comprehendit, quem  
nisi ineptiat, nemo amplius oppositurus est, aut eo velut argumento  
quodam adversus nos pugnaturus. 8. Idem habeo respondere ad  
Lofata commemorationem, quæ si non una extitit, quemadmodum

Ditmarus indicabat, alteram quidem ad Dalemnciam referemus, cum Wisseburgo pari modo in historia recensito, alteram verò Lauchstadium esse patiemur, quæ procul abest ab hac ora, eive apponi vel includi nequaquam debet. 9. Quamquam verò quæ adducta à nobis fuerunt, controversiam non continuò sopiant, aut rem in vado locent, tamen validum haud dubiè est argumentum, quod ab expressa Caminisi fluvii mentione desumitur, quum intervertat omnem secus cogitandi rationem, & ad Elistrum vel Plisiam confugiens asseverationis falsa manifestò reos evincat. 10. Adhuc exploratissimum est, Dalemnciam à Ditmaro non sic extendi, quasi ad inferiorem Misnia oram patuerit, vel terminos suos Thurin-giam versùs latissimè habuerit statutos & prorogatos. Aliud saltem vastatio significat, à Bohemorum multitudine, barbara feritate grassantium, illata, quæ unius diei intervallo, universus pagus miserè direptus fuit ac deformatus. v. Ditmar. Lib. V. p. 116. ubi hæc inveniuntur: Totus hic pagus, qui Glomaci dicitur, in una hæc die, igne, gladio, & habitatoris educatione flebiliter desolatur. 11. Longè illustrius testimonium idem scriptor suppeditat, quando de Henrici Ducis itinere sequentia exponit: Post hæc Henricus Bozlaum Ducem Bojemorum, cum suis adiit, honorificeque ab eo susceptus, cum exercitu ejusdem à finibus suis per Niseni & Dalemnci pagos usque ad Mogelini ducitur. Lib. IV. p. 65. Egra narratione conjectura fieri potest, Dalemnciam finiente, Mogelini pagum, vel novæ regionis oppidum, iter illac facientibus occurrisset. Unde Grona Dalemnciæ castrum appellari nequit, si quidem infra Ileburgum situ suo removeatur. Et verò 12. de Grona sic existimamus, si in Annalibus rectè legitur, ubi Kieta faciunt mentionem, vel Kietni porrò oculis subjiciunt, vel de Erasmi Stelle sententia, Gietanam consignatam nobis sistunt, præposteram non fore expositionem, quæ de Geita id interpretaretur, quod oppidum veterem Dalemnciam contingebat, & etiamnum hodiè sic appellatur. Sin verò Gemblacensis potior est, cum Ganam nominat, urbs fuit propè Ianam fluvium fortasse, cujus memoriam fieri potest, ut pagi ad hunc diem existentes, è veteri calamitate & excidio servârint. Et quidem si id fateamur, Gronam esse retinendam in lectione, quandoquidem ut plurimum sic inveniatur, tamen nulla cogit  
nos

nos necessitas, ut infra Ileburgum Urbis rudera quæramus, cum ar-  
gumentum istud suadens imbecillius sit, quàm ut cause hujus diju-  
dicationem eidem permittamus. V. Erasmus Stella Lib. allegat.  
Spangenbergius apud Albinum, pag. 78. Conf. p. 95. & 145. Ad-  
de Ursbergensem aliam lectionem suppeditantem, apud Meibo-  
mium, qui arcem Gronde ad Visurgim, cum Grona Dalemincio-  
rum nil commune habere, tempestivè & sapienter annotavit.

17. Præterquam autem, quod sic animad-  
versum est, VVisseburgum & Lostatam, cum  
Gana Urbe munitissima, \* Daleminciæ civita-  
tibus castrisque annumerari, aliàs insuper vel  
urbes, vel munitiones expromemus, quarum  
cum situm dubitatione vacare perspicimus,  
tum mentionem præclaram vetustissimorum  
Scriptorum monumenta fecisse invenimus.  
Pertinet autem ad hanc recitationem incly-  
tum regionis hodiè caput, \*\* in Diplomate  
Pontificis Daleminciæ attributum; & quæ o-  
lim urbium princeps extitit, Lomacia, \*\*\*  
VVendorum Dynastarum celeberrima cultis-  
simaque sedes, quam palus admirandæ anti-  
qvitatis evexit, & ad omnem posteritatis me-  
moriam nobilitavit. His adjungo Burgvvar-  
dos veteres, Zadili, Boruz, & alium in Diplo-  
ma-

mate Conradi Marchionis, ad Ganam amnem  
collocatum. \*\*\*\* Tandem castellum Cirin,  
ubi hodiè pagus est, epigrammate Taubman-  
ni facetè aliquando notatus, hanc recensio-  
nem, ob id quòd Ditmari tempore notissimum  
fuit, \*\*\*\*\* subire debet & locupletare.

\* Firmam & propugnaculis munitam adversus hostium  
impressiones H. Mutius testatur, qui hanc causam pertinacia fero-  
ciaq; incolarum fuisse scribit, quæ animum Henrici exacerbavit, sic  
ut iracundia ejus non nisi sanguine restringi posset & satiari. Chro-  
nic. German. lib. 12. Reliquos eo nomine pagos, Dalemincia limitem  
ingredientes superesse adhuc hodiè videmus, alterum propè Misna  
suburbia, in Schleinciorum clientela comprehensum; alterum versùs  
Mogellam positum, & itinere Caroli V. Cesaris, cujus castra ibi bi-  
duum durarunt, in historia celebratum. Sic enim in Ephemeride  
itinerum hujus Imperatoris, ad annum 1547. mensem Aprilem, quo  
tempore in Jo. Fridericum Electorem Saxonie ducebat, annotatum  
reperio: 22. Hoven & Ganam pagos, ad IS. Qua & ipsa die fuere  
ad nonam usque nebulæ, 23. Ibidem permansum est, fueruntque  
& ea die usque ad decimam tenebræ & perdensæ nebulæ. Conf.  
Thuanus Lib. 3. Hist. p. 68. seqq. ubi iter magna diligentia recen-  
set, sed vocabulis valdè inflexis, & interdum planè corruptis, ut  
vix agnosci queant.

\*\* Verba in Diplomate Pontificio concepta sequentia obser-  
vatu fuere digna: iidem gloriosissimi Imperatores postularunt à  
nobis, quatenus monasterium, quod pro remedio animarum sua-  
rum primitùs construi, & in honorem beati Johannis Evangelistæ  
consecrari fecerunt, super ripam fluminis, cui nomen est Albea,  
in civitate Misna, sita videlicet in provincia, quæ dicitur Dale-  
mincia. Ideoque Misnam ad Daleminciam referrè oportet, quam  
dubium non est adversus Daleminciorum Gentem, qua circumfunde-  
batur, ab Henrico conditam fuisse. Quod enim de Milzenis dici-  
tur,



eur, quem admodum Viros summos non prohibuit existimare, & Bohemorum & Polonorum excurrentium immanitatem, suscepti consilii, & fundatae civitatis causam extitisse; ita nullum affert impedimentum cupientibus asseverare, Henricum simul in animo habuisse Dalemencibus à se repressos hoc quasi freno coercere, & hostiles ipsorum impetus per militem praesidiarium, è castro munitissimo deinceps propulsare. Ceterum sapienti consilio à fortissimo Rege, in medio duorum populorum, inimicis animis irruentium in se, urbs locata & constructa fuit, ut limitem adversus utrumque firmaret, eoque uno latere Milcienos prospiceret, Nisanis mistos atque inclusos, alterum verò Dalemencibus ostenderet, quorum regio ad Scharfenbergium castellum, ut in priscis tabulis est, deficiebat penitusque claudabatur.

\*\*\* Principem voco, quae nomen à palude sortiens universae regioni impertivit, obque eam rem sic post exsplenduit, ut Dalemencorum Slavorum metropolis non immeritò habeatur. Itaque quae in populum honorificè dici queunt, hoc oppidum praecipuè afficiunt, & ad amplificandam ipsius celebritatem appositè referuntur. Quamquam Scriptores temperare sibi debeant, ne quod universam provinciam attingit, perinde accipiant, quasi civitatem unam spectet. In qua parte neque Chronica debitam semper cautionem adhibuerunt, neque celeberrimi Commentatores existimationi suae fideique historiae consuluerunt. Exempli causa, cum Ditmarus memoriae prodit, Boleslaum Bohemum pagum Glomaci depopulatum esse, eoque pristino cultu & abundantia in solitudinem ac vastitatem redegisse, non modò Georgius Fabricius in Annalibus suis, sed & Petrus Albinus in Commentario rerum Misnicarum, de oppido Lomacio interpretantur. Sic enim prior ad annum MXVII. Lomacium oppidum, & villa Zerena in aditu Cheleboscii cremantur. Hic autem similia refert pag. 119. & 260. Quem secutus Auctor Chronici Lomaciensis, non modò calamitatem praedictam, sed & cultum de toto pago intelligendum, ad urbem unicum restringit. Ceterum vera est, quam faciunt illi, conjectura, urbem & primordia sua, & incrementa atque splendorem à fonte admirabili duxisse, quum fieri requiverit, quin tam certis creberrimisque portentis ibi visis, magna hominum ethnorum multitudo ad eum locum conflueret, & sacrorum celebratione,

D

ne,

ne, fortasse etiam conventuum reipublica causa institutorum frequentia, non mediocriter illustraret. Sive itaque è pago civitas aliqua repente exurgeret, sive Wendorum opera profus nova egrediretur, perinde quidem accidit, ut superiori tempore meminimus interdum evenisse, quando miracula conficta, hominamq; miserorum superstitio, & monasteriorum magnificis structuris, & pagis juxta ac civitatibus originem largiebantur, subitosque progressus efficiebant. Vid. Chronic. Lomaciense & Mogellanum, quorum Editores recitationum suarum fundamenta ab Albino desumpserunt. At verò primus & per antiquus hac in parte Scriptor, cujus & sententiam explorare, & auctoritatem sequi nos oportet, Ditmarus Merseburgius habetur, qui de Glomaci fontis, & paludis hinc stagnantis natura, in Chronico suo sic differere perrexit: Cum bona pax est indigenis profutura, suumque hæc terra non mentitur fructum, idem tritico & avena ac glande refertus, lætos vicinorum ad se crebro confluentium efficit animos. Quando autem sæva belli tempestas ingruerit sanguine & cinere, certum futuri exitii indicium præmonstrat. Hunc omnis incola plus quam Ecclesias, spe quamvis dubia, veneratur & timet. Eadem è Ditmaro refert Erasmus Stella, paludem hanc ad duodecim passuum millia ab Albi sejungens, quam secundo tamen lapide à fluvio illo positam esse, Antistes idem confirmat. Enimverò Chronicon Lomaciense non habuit, cur Ditmarum incusaret, propterea quod intervallum baud rectò fuerit dimensus, longiusq; pronunciaverit, quam fieri oportuisset. Ego autem Prasulem excuso, quem ratio metiendi ætate ipsius recepta, & terminus designatus, ripa nimirum Albi, omni culpa liberat, faciliq; negotio absolvit. Alioqui hujus pulcherrima narrationis, præter Georgium Fabricium, & Matth. Dresserum, oportune recordatur Petrus Albinus, qui paludem inclytam à pago contermino Polznensem hodiè nominari, verè & prudenter observavit. Mibi autem quod natales præbuit, Strigenicium, cum proximè à palude dicta abest, ad quam jactus tormenti minoris facile pertingit, spatiumq; interpositum emetitur, tum agro sibi assignato ad eandem se obvertit, situg; pariter & districtu viciniam propinquam servat. E regione verò ejus Dersenicium comparet, eodem positu respiciens paludem, neque longius ab ea discedens, qui pagus utrum claustrò Monialium

anti-

antiquitus excelluerit, Sicerodam postea translato, quemadmodum  
in catalogo cœnobiorum Misnia recitatur, dispiciendum aliis relin-  
quo. Id interea è vocum terminatione, & aliis insuper characteri-  
bus rectè conficitur, hos & reliquos complures, qui circum magna  
multitudine se sistunt, ob pinguisimum videlicet ac fertilissimum so-  
lum, à Venetica Gente exultos fuisse, cui rei profectioes ad fon-  
tem susceptas, & hominum concursum eò factum profuisse, mihi ad-  
modum probabile veròq; simillimum videtur. Quamobrem incre-  
dibilem ex eo capio voluptatem, quoties contueor antiquissimis Scri-  
ptoribus celebratum & portentosum fontem, qui quanquam ea pro-  
funditate hodiè non sit, quam Albinus ipsi tribuit, nec venis hu-  
juscemodi quidem gaudeat, quæ exsicari ipsum non patiantur, ta-  
men ob mirabiles eventus, & vetustatem suam, memoriãq; multa-  
rum rerum, quas in animum revocat, jucundissimum adspèctum  
præbet, mirificasq; cogitationes gignit.

\*\*\*\* Burgwardum Zadili, qui Ecberti Marchionis Comita-  
tui innexus fuit, Diploma Henrici IV. anno 1074. provincia Thale-  
menche assignat. De quo reliquam videmus arcem, ad Albis ripam,  
infra Misnam civitatem sitam. Burgwardi Boruz propè fluvium,  
qui Albea dicitur, Tabula donationis meminerunt, quibus Otto II.  
Præsulatus Misnenensis ipsum tradidit, cujus appellationem pagus qui-  
dam ad Episcopatus bona spectans, in hunc diem conservavit. Cæ-  
terum Gana rivus etiam hodiè durat, & propè Risam oppidulum, o-  
lim cœnobio, nunc Nobiliam sede clarum, in Albim exoneratur. Quo  
de Mersburgici Annales sic prodiderunt, dum militum Polonorum  
excursiones referunt: Qui depopulantes, & ubi ignis invenieba-  
tur, omnia usque ad Gana fluvium concremantes, serò lassis re-  
vertuntur equis. Lib. VII. p. 196.

\*\*\*\*\* Zerenam memorant Annales, quando expeditionem  
Bolizlavi persequuntur, sequentibus quidem verbis: Nec mora,  
exercitus jussu Ducis in quatuor dividitur, & ad Cirin castellum  
vespere convenire præcipitur. Lib. V. p. 115.

18. Vel limitem signant, vel in confinio  
Daleminciæ sunt positæ, de quibus exponen-

dum mihi restat. \* Et verò Strelam impressio  
Poleniorum, & oppugnatio à Guncelino Mar-  
chione tentata, & conventio dotalis, qua in  
Bohemorum Ducis Filiaë peculium pervenie-  
bat, antiquitus ipsi celebritatem circumdede-  
runt. Eodem verò tempore Mogelina caput  
erexit, cujus situs ex itinere patuit, fortitudo  
autem habitatorum ex deleta Bohemorum le-  
gione, quam cum astu primùm delusissent, po-  
steà ferro aggressi ad internecionem cecide-  
runt. Quod quemadmodum ad Mogilinaë  
commendationem pertinet, sic ad laudem ci-  
vitatatis exiguaë procul dubio istud vergit, quod  
eandem virtutem in bello Germanico, adver-  
sus varias hostium machinationes demonstra-  
vit, veteresque laudes egregiè renovavit, & ce-  
dentibus munitissimis oppidis, invicta nihilo-  
feciùs perstitit. Rochlicium, vetus Herman-  
ni & Eccardi Marchionum Burgvardus, pri-  
sco illo ævo similiter jam fuit notus; nec mino-  
ris quidem celebritatis urbs ipsa ex Scriptoribus  
comparet, Guncelini jussu, qui à Strela cum  
com-

contumelia discesserat, animumque ultionis  
avidum explere cupiebat, in cineres redacta.  
Vetustiore tamen istis universis, & hybernis  
Karoli Junioris nobilitatam, Belegoram Anna-  
les nobis sistunt, quam tabulæ Ottonis II. civi-  
tatis nomine insigniunt, Diploma verò Con-  
radi Marchionis pagi appellatione impertit, in  
quo Burgvardum Trescovvo nominat, & huic  
Schremfenicium, quod hodiè Schirmenici-  
um, Thuano autem corruptè Schermesserum  
audiebat, subfuisse significat. In hac civitate,  
expeditionibus adversus Boleslaum susceptis,  
copiæ Cæsaris ut plurimum conveniebant, in-  
deque per Lusatiam & Silesiam proficiscebantur,  
quæ Polonico imperio, latius multò, quàm  
hodiè ad nos porrecto, istis seculis obseqveba-  
tur.

\* *Limes Septentrionalis non aqvè accuratè explorari potuit, ut  
alter versus meridiem, ideò de his urbibus haud simplici locutione sen-  
tentiam nostram declarare visum fuit. Caterum qua de Sirela  
scripsimus, inclytæ Pflugiorum Gentis ditioni hodiè subjecta, apud  
Ditmaum continentur, Lib. V. p. 108. & 115. Lib. VI. p. 153. De Mo-  
gilinensium astu & felicitate singulari, vid. idem Scriptor, Lib. V.  
p. 16. De virtute autem in bello Germanico contra Svecorum assultus  
& oppugnationes, Chron. Mogell. passim, quod legens antiquita-  
tis recordatione afficior, & ad comparanda prisca cum recentibus fa-  
ctis instigari me persentisco. Rochlicium Burgvardum Annales cè-*

rati memorant, Lib. VIII. p. 245. Urbis autem juxta Mildam flumen  
posita, & incendio consumpta, mentio ab ipsis facta est Lib. VI. p.  
153. Quod reliquum est, de Belegora ad Geronis prædia spectante, in  
eadem Historia aliquid perscriptum extat, Lib. VI. p. 155. quo in lo-  
co vocabulum exponitur, quasi pulcher mons per illud significaretur,  
cùm tamen Venedicæ lingvæ gnari sic interpretentur, ut album mon-  
tem ipsis denotet. Conf. p. 162. nec non Lib. VII. p. 222. ubi hæc  
est legere: Neque tacendum est, quòd alii milites Bolizlavi ur-  
bem Belegori dictam, XVIII. Cal. Sept. aggressi, & bello eam  
impugnantes diutino, Deo gratia, nil proficiebant. De expe-  
ditione Karoli Junioris, Vid. præter Adonem Viennensem, Aimo-  
nius Lib. 4. cap. 81. à quo Karolo statuam Rolandi adhuc hodiè re-  
liquam esse, ingenti magnitudine è lapide confectam, & ad curia la-  
tus in oppido illo erectam, Albinus judicat p. 88. Lib. cit. Cujus rei  
vel veritatem, vel causam indagare cupientes, ad Hermannum Con-  
ringium visere oportet, qui de statu Rolandorum pereruditè disseru-  
it, Exercitat. III. de Rep. Imp. Germ. p. 107. seq. Caterùm Scher-  
pias transmissuro & vadum indicavit, & via ducem sponte se præbuit,  
quòd injuriam à Saxonis acceptam ulcisceretur. Cujus hominis po-  
steritatem adhuc hodiè superesse, à Viro Illustri accepi, utpote qui a-  
liquem vidisset ipse, per literas supplices in aula petentem, quòd sibi be-  
neficium quoddam impertiretur, siquidem à stirpe ejus descendat, quò  
Familie Electorali, hodie rerum apud nos potienti, insignem fidem  
exhibuisset. V. Thuan. Histor. Lib. III. p. 70.

19. Ex his, quæ de civitatibus dicta sunt,  
ad rempublicam progressis argumenta pariter  
& indicia licebit sumere. Enimverò Slavo-  
rum populus non abhorruit à societate cultuq;  
humano, sed ordinem, quem imperandi leges  
sanciant, animo non illibenti sapientissimoq;  
consilio est amplexus. Proinde neque Regum  
ma-

majestatem revereri grave sibi duxit, neque Ducum imperium, si moderatum esset, pati non sustinuit, & licentiam immodicam, quæ in populari statu viget, civili unius potentia temperavit ac represit. Quod quemadmodum de Venedis universè cognitum habemus, sic de Soraborum multitudine, Ducibus suis parere haudquaquam detrectante, similiter ex Annalibus liquet: qui quanquam adstrictius gubernari haud facile se paterentur, tamen libertatem sic tenebant, ut obsequium & venerationem cum fascibus ultrò ad ipsos deferrent. Equidem amplificandæ felicitati Glomaciorum magnoperè conduxit, quòd non modò regionem per se optimam ac fertilissimam fuissent nacti, sed ut explendesceret prætereà, cultuqve florentissima efficeretur, \* nulli rei nullisq; laboribus supersederent. Ut igitur fortunis suis consulere, & Soraborum juxta consuetudinem rempublicam suam ordinarent, imperium unius minimè pertimuerunt, \*\* sed Ducali fastigio insignitum, obtemperandi jurebus communire, & exemplis à se profectis roborare sunt aggressi.

\*\* T. 13

flumen  
VI. p.  
ante, in  
o in lo-  
aretur,  
m mon-  
ubi hæc  
lavi ur-  
lo eam  
de expe-  
Aimo-  
odiè re-  
uria la-  
ujus rei  
m Con-  
differu-  
a Scher-  
sari co-  
præbuit,  
minis po-  
qui a-  
sibi be-  
dat, qui  
m fidem

sunt,  
ariter  
blavo-  
altuq;  
leges  
oqve  
egum  
ma-

\* Testimonio suo id confirmat Præsul elogiis nostris major, quando calamitatem à Boëmorum grassatione profectam his verbis describit: Totus his pagus, qui Glomaci dicitur, optimè tunc excultus, in una hac die flebiliter desolatur. V. Loc. allegat.

\*\* Boleslaum Delmantia Ducem, inter alios qui Henrico Aucupi præstò fuerunt, quo tempore decretoria pugna cum Hungaris confligere parabat, recensuit Chronicon Saxonicum, ab antiquo Monacho concinnatum, & à Jo. Pomario primùm, post à Mattheo Dressero auctius & castigatius editum, pag. 85. ubi Boleslaus octavus & ultimus inter Duces comparet. Hanc recitationem verò è Spangenbergio desumptam esse, Chronicon ipsum fatetur, pag. 80. At vetustiores inter, qui de prælii hujus fortuna & eventu tradiderunt, eminent Luitprandus lib. 2. cap. 9. Otto Frisingensis lib. 6. cap. 18. nec non Liber Ludorum Trojanorum, quos Sidonius Apollinarius Agones Drepanitanos nominat, Lib. 2. Epist. 2. cæterùm Duces Regesqve Slavinos in Annalibus Francicis est observare, ad A. 805. 806. 871. &c. ut & penes Albertum Stadensem, & Helmodum in Ch. Slav. lib. 5. cap. 12. Cum quibus conf. quod Albinus de Miliduch, Soraborum Duce, ex iisdem monumentis annotavit, p. 89.

20. Ingenium Daleminciorum, & religionis curam Slavica Gens universim visa nobis sistit, cui & Asiaticum quid, & Græcum assignare quamplurimi ex antiquitatis testimonio\* non dubitarunt. Itaq; in periculis & calore pugnae magnanimos atqve feroces, in consilio capiendo peritos & callidos, in reipublicæ administratione æquitatis ac justitiæ studiosos, in religione verò, quam præscriperant sibi ipsi sequendam, vehementer pertinaces atqve devotos, & ut verbo dicam, in barbarie Sarmaticis populis familiari non pror.



prorsus barbaros ipsos depinxerunt qui mores quancquam cultu ad superstitionem flexo, multitudine Numinum confictorum, \*\* portentosis foedisimisque ceremoniis non mediocriter contaminarentur, tamen pietatem ipsis curae fuisse, & Cyclopicam immanitatem displicuisse significant. Enimverò difficillimos experiebatur, qui à prisca fide ipsos abducere, & ab erroribus ad veram de religione sententiam revocare cupiebat, cum neque opinionem, quam semel imbibissent, libenter deponerent, neque legem sibi dictam, etiamsi extrema alioqui perferenda forent, reciperent vel servarent. Idque nusquam fortè manifestius perspiciebatur, quam apud Daleminciorum populum, \*\*\* quippe qui talia ad limpidas fontis aquas designaret, qualia reliqui sanguinis & studiorum affinitate ipsis conjuncti, in lucorum umbris, & consecratis nemoribus perficiebant. Adeò & purioris coetus consortium aspernabatur, & praestigias ludosque Dæmonum oraculorum fidei longissimè præferebat, & meliora docentes capitali odio velut acerbissimos inimicos persequebatur.

\* *Dubium illud est, quod ex Homero petitur testimonium, sive quisquis est, cui Strabo lib. 12. adscribit, Quancquam enim Philippo mirificè placuerit, & ab omnibus, qui se ipsi permiserunt, propemodum receptum fuerit, tamen & de Paphlagonibus incertum est, & de Henetis in Argonautico Carmine, nec non ab ipso Herodoto commemoratis, minimè pervestigatum ostensumque, liquidò, Venodos attinuisse. Quo de argumento Ph. Cluverius evolvi debet. in German. Antiq. De Scriptoribus verò, qui cum pro altera sententia, tum ad rationem nominis in universum cognoscendam allegari solent, consulatur Chytræus in Vandalia sua, ubi dum Ptolemeum, Tacitum, & Plinium nominat, hic potissimum instituto ejus inservit, Lib. 37. cap. 3. V. Homer. 12. β. cujus sententiam Strabonis interpres feliciter expresit. Herodot. τερψ. 151. Germania Taciti, à Philippo illustrata, in Chronic. Peucer. ab initio.*

\*\* *De Slavinarum idolis Vid. Jo. Lindeneus, quem vulgò*

E

Mo-

Monachum Pirnensem vocant, in Onomastico, seu Chronico suo, juxta literarum numerum concinnato. item Auctor Chronici Saxon p. 208. ubi Flinsium, & p. 216. ubi Prononen, Ridegastum, & Siebam depingit. Conf. Helmold. lib. 1. cap. 53. Cranz. lib. 2. cap. 25. Adamus Bremens. lib. 1. cap. 6. De Svantevicio & Zernebogo commentatur Emserus, in vita Bennonis cap. 19. De Trigla verò Sabinus, in Libello de Brandenburgo Marchiæ metropoli.

\*\*\* *Non caret ratione, quod Erasmus Stella prodidit, ad inclytam paludem Wendorum Diis fuisse sacrificatum, quorum & nomina extiterunt fœdissima, & forma prorsus fuit terribilis, & significationes futurorum eventuum deplorandos errores in animis miserorum hominum vehementer stabiliverunt. Sic enim Ditmarum interpretor, quando indicat, Slavinos huic fonti plus esse solitos tribuere, quàm ipsis Ecclesiis, eumq; sanctissima cerimonia venerari & colere consuevisse. Ceterum quid vetat, quò minus ad Dalemencios referam, quod idem Presul de Arno Wirzeburgensi Antislite narravit, ipsum in pago Chutizi à Slavis fuisse trucidatum? Sic enim habent, quæ de martyris calamitate recitat: sed non longè à prædicto amne, in pago Chutizi dicto, Arnus, Episcopus sanctæ Wirzeburgensis Ecclesiæ IX. cùm ab expeditione Bojemorum reversus juxta plateam in parte septentrionali, fixo super unum collem suimet tentorio, missam caneret, hostili circumvallatus agmione, præmissisq; omnibus per martyrium suimet cum sociis semetipsum obtulit Deo patri, DCCCXCII. dominicæ incarnationis anno, temporibus Arnolphi Imperatoris, cum oblationibus consecratis in sacrificium laudis. Ubi hodiè sæpè accensa videntur luminaria: & sanctos Domini martyris hos esse nec Slavi dubitant. Lib. 1. p. 1. & 2. Conf. pag. 8. 39. 56. 223. &c. ubi plurima invenies ad capita & fervorem religionis, Deorumq; cultum, in Slavorum populo spectantia. De sacris verò Christiano ritu ordinatis, apud eandem gentem, vid. Chytræus, Lib. 1. p. 35. & seqv.*

21. Cæterum bellicosum fuisse Glomaciorum Wendorum ingenium, cùm argumento à fortitudine totius populi accepto, tum variis expeditionibus in eos indictis

dictis, ac denique Marchia adversus eorum impetum & ferociam constituta, efficitur planum, faciliq; negotio demonstratur. Qua in parte cum sibi ipsis non satisfacerent aliquando, barbaros homines in foederis societatem adsciscabant, inq; Germanicum sanguinem, sibi vehementer suspectum & invisum, grassandi non faciebant prius finem, quam ductu & auspiciis Henrici, horumq; Principum, qui limitaneo magistratu fungebantur, & potentia ipsorum paulatim frangeretur, & eò res ad ultimum deveniret, ut frenum discerent mordere, jugumq; moderatè ferre, à quo tantoperè abhorruissent, & cui propulsando sanguinem pariter & opes suas diu frustra insumpissent. \*

\* Prohibet institutum hujus tractationis, ut quæ ex Annalibus in eam sententiam afferre possim, singula copiosius persequar, aut commentatione proluxa lucem ipsis affundere laborem. Quæ propter Witichindi monachi recitatione contentus ero, & auctoritate testimonii gravissimi in capite presenti utar, seriemq; rerum gestarum ita quidem ex eo pertexam, quemadmodum ipse exemplo suo mihi demonstravit. Et verò posteaquam Henrici Aucupis militiam, impetumq; in Dalemincios exposuisset, sic de Ungarorum copiis, in subsidium ab hostibus evocatis, perseverat explicare: Prædictus igitur exercitus Ungarorum à Slavis conductus, multa strage in Saxonia facta, & infinita capta præda, in Dalamantiam reversi, obviam invenerunt alium exercitum Ungarorum, qui comminati sunt bellum inferre amicis eorum, eò quòd auxilia eorum sprevisent, dum illos ad tantam prædam duxissent. Unde factum est, ut secundò vastaretur Saxonia ab Ungaris, & priori exercitu in Dalamantia secundum expectante, ipsa quoq; in tantam penuriæ miseriam ducta sit, ut aliis nationibus eo anno, relicto proprio solo, pro annona servirent. *En calamitasum foederis exitum, & perfidiam barbarorum immanem!* Quibus Dalemincios nostrates parem postea retulisse gratiam, Witichindus eodem libro ad hunc modum est persecutus: Avars iter agentes per Dalamantiam, ab antiquis opem petunt amicis. Illi verò scientes, eos festinare ad Saxoniam, Saxonesq; ad pugnandum cum

618

ronico  
Chro-  
Ride-  
Cranz.  
icio &  
o. 19. De  
nia me-  
dit, ad  
rum &  
bilis, &  
animis  
Ditma-  
sse soli-  
nia ve-  
inus ad  
burgensi  
datum?  
ed non  
Episco-  
ditione  
ali, fixo  
hostili  
rtorium  
CXCII.  
perato-  
s. Ubi  
Domini  
Conf.  
z fervo-  
pectan-  
eandem  
riorum  
line to-  
eos in-  
dictis

22  
2/c  
1155

eis esse paratos, pingvissimum pro munere eis projiciunt ca-  
nem. Et cum non esset injuriarum vindicandi locus, ad aliam  
pugnam festinantibus, cum ridiculosa satis vociferatione lon-  
gius prosequuntur amicos. *Hec sanè & mutuò tunc, & impunè*  
*ipsis facere licebat. At verò pessimè cessit, quam Henrico, Hevel-*  
*lorum jam victori, opponēbant audaciam, quam quemadmodum*  
*castigaverit, ex Annalium Corbeiensium Scriptore porrò audiamus:*  
Cumq; illa urbe potitus (Brennaburgum intelligit) & omni re-  
gione, signa vertit contra Dalmantiam, adversus quam jam olim  
reliquit ei Pater militiam: & obsidens urbem, quæ dicitur Gro-  
na, vigesima tandem die cepit eam. Præda urbis militibus tra-  
dita, puberes omnes interfecti, pueri ac puellæ captivitati ser-  
vatae. Eodem modo H. Mutius de expugnatione Urbis differit, Hen-  
ricum dispositis Brennenburgi rebus, continuo in Daleminciam  
duxisse, quæ ne potiretur tota, cum Gronam sibi obstare animad-  
verteret, admoto exercitu postulasse deditioem, fore enim, ut æqua  
conditione, vita & facultatibus salvis paciscerentur. Quod cum  
illi non acciperent, munitioni urbis fisci, & non modò superbius re-  
sponderent, sed tela in hostem ejaculari, crebrisq; eruptionibus in-  
ferre cladem minimè cessarent, irritatum Regem militibus suis e-  
dixisse, ut omnes puberes ex utroq; sexu interficerent, pueris modò  
& puellis servatis, urbeq; ipsis in prædam concessa. Sic igitur re-  
pressis populi viribus, jam non amplius mirabile videri cupiam  
poterit, quod & Witichindus Monachus, & Ditmarus Prasul con-  
sensione quadam styli perscripserunt, Daleminciam Henrico tribu-  
sariam esse factam, & libertatem suam amisisse. V. Witichind. An-  
nal. Lib. 1. H. Mutius, in Chron. German. lib. 12. Ditmarus Lib. 1.  
p. 6. Ceterum finiente republica, neq; cessavit regionis nomen, quod  
circa extrema seculi XI. usurpatum esse certò scimus, neq; Venedi  
deserunt habitare pulcherrimas sedes suas, donec multitudine co-  
lonorum, civiumq; Misnia veterum, vel oppressi & extincti, vel in  
angustias præcipitati obscurivè redditi, vel moribus ad elegantiam  
compositis emolliti & mansuesacti, vel expulsi denique & in alia do-  
micilia translati, patriam nostram peregrini sanguinis commercio  
liberarent, & Germanica stirpe satos emergere rursus, ac pos-  
sersionem sibi debitam recuperare paterentur.

D. O. M.

201

unt cae  
d aliam  
e lon-  
impunè  
Hewel-  
modum  
iamus:  
nni re-  
n olim  
t Gro-  
us tra-  
ti ser-  
, Hen-  
inciam  
imad-  
t equa  
d cum  
ius re-  
bus in-  
suis e-  
modò  
ur re-  
upiam  
l con-  
tribu-  
d. An-  
Lib. r.  
, quod  
Venedi  
e co-  
vel is  
ntiam  
is do-  
mercio  
os-

ULB Halle

3

004 779 851



1077





OK 4, 26  
h. 11, 26

DA


SI

M. CA

Ordin

ex A

JOANN



Pr

CIA

M,

RICO

uncto,

Africa

ur

LANERO,

R I,



Typogr.



**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

